



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 8. Eadem P. P. Franciscanis accidisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

procurrere, atque ad se trahere! quotiesque negant se esse domi, cum tales aduenæ fores pultant? Neque idcirco diffidendum, quia nouit Deus, in cuius manu sunt corda hominum, etiam de parcos Eucliones, ad succurrendum suis, conmouere. Quod eò illustrius est opus, quemadmodum & mirabilius est, è pumice, quam è fonte, aquam elicere.

§. VIII.

Eadem PP. Franciscanis accidisse.

De D. Francisco scribitur, eum, quoties suos aliò amandaret, nullum illis aliud viaticum dare consueuisse, quam illud Psalmi: *Iacta super Dominum cogitatum tuum, & ipse te enutriet:* cuius versiculi fides, instar omnis peculij, erat. Accidit, ut duobus ab eo peregrinatum missis, diemque iam ferè totum, via inediāque confectis, vires deficerent, quin ut stipe ostiatim flagitatâ, nihil à quopiam mortalium porrigeretur. Quam pronum est, tali tempore, homines fieri subtristes & impatientes? Quam facile sollicitudo futuri & praesens inopia confidentiam labefactat? Et tamen, in his ipsis viris, pusillanimitatem Deus censuit castigandam. Misit igitur ex astris adolescentem ipsis astris formosiorēm, qui, interrogatā causā, ob quam adeo

Psal. 54:

23.

O 2 deies

deiecti animis essent, binos eis panes exhibuit; quibus dum illi assidentes humi suauissimè vescerentur, cæpit eos asperis verbis castigare: *Homines, inquit, modicæ fidei, cur diuinæ curæ iam diffidebatis? Non vobis in mitem veniebat verborum illorum Prophetæ, quem sâpe vobis S. Pater vester inculcamit; Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enuntiat, cum eius videlicet bonitas ne bestijs quidem agri desit?* Quamobrem hoc scitote, nullam ob aliam causam distulisse Dominum open suam, nisi ut fame ipsa diffidentiam vestram puniret. Dixit hæc, & complura alia talia; ubi loqui cessauit, cessauit pariter etiam conspici. Satis illi fuit, cum corpore mentem etiam illorum pauisse. Nos quoq; inde pascamur, neque statim animis concidamus, si non illico manna è cœlo cadit, aut è nubibus nobis aduolant coturnices. Illo nos solemur, illud identidem animo voluamus: *Quo modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Scit ergo nos indigere; &, tanquam pater, non sinit indigere, ad desperationem. Miseretur, vt Pater; iuuat vt Dominus; præuenit, vt Deus.

Psal. 102.

13.

§. IX.